

Post tot et tantas virorum ingenii, erudi-
tionis, et doctrinae laude clarissimo-
rum curas, textui V. T. tum restituendo,
tum explicando impensas, temeritatis at-
que impudentiae crimen effugere me vix
posse arbitrarer, si meos quoque in hac
criticae atque hermeneuticae sacrae parte,
exercitationis acuendique ingenii causa su-
ceptos labores, tanti aestimarem, ut in
lucem publicam ea, quae observata, medi-
tata, et tentata a me sunt, emittere aude-
rem. At enimvero neque id mihi arrogo,
ut novam lucem tenebris ab aliis relictis
hisce meis observationibus affundi posse
credam, neque ingratus summorum viro-
rum in eodem tramite versantium operam
spernere, meaque qualiacunque in hac re
conamina iis, ne dicam anteponere, sed
aequiparare cupio; sed timidus, reique

A

tum

tum gravitatis, tum difficultatis, viriumque mearum exiguitatis probe conscius, ab hoc consilio, observationes criticas atque exegeticas ad loca quaedam V. T. edendi, prorsus abhorruisse, nisi temporis munerasque, clementissime mihi demandati, ratio ad exhibendum aliquod specimen profectuum in philologia quam vocant sacra, sacrique codicis interpretatione factorum me adegisset, atque ex ea maxime hujus scientiae parte materiam scriptionis hujuscce eligere voluisse, qua prae aliis me deleteri, cujusque studio me maxime flagrare profiteor. Veniam itaque a quovis aequo et harum rerum perito judice me imperaturum esse, sententiamque de hoc meo conatu latum iri indulgentem confido, si quid hallucinatus, et in re difficillima, in qua, quantum summa saepius ingenia offendent, ignotum nemini esse potest, errori aliquando obnoxius, atque in lubrica hac via lapsus, vel minus feliciter versatus fuero, cum non tam nova conquirendi

di studio incensus; aliosque docendi stolida
cupiditate inflatus, quam placido eruditio-
rum examini hanc meam opellam submit-
tens, eorumque sententiis, utrum recte an
minus caute in hac reversatus fuerim, edo-
ceri cupiens, hanc qualemcumque scriptio-
nem publici juris faciam. Justam glorian-
di materiam me nactum esse arbitrabor, si
institutione egregia *illustris MICHAELIS et*
HEYNII atque S. V. HVFNAGELII, quos
fautores atque praceptores summa pieta-
te nunquam non venerabor, me haud in-
dignum, aliorumque clarissimorum viro-
rum scriptis justo modo usum fuisse, pro-
nunciabunt ii, quibus judicandi facultas in
hac litterarum parte competit, meque ad
ulteriora studia excitandum esse statuent.

OBSERVATIO I. AD Ps. IV, 7.

Comma hujus versus ultimum

כשה עליכו אוֹר פניך יהוה

vix commodum exhibit sensum, si mas-
rethicis punctis verba animantur. Duplex